



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ærumnæ D. N. Jesu Christi

Thomé <de Jesus>

Monachii, 1676

Ærumna X. Obedientia & subjectio Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

ÆRVMNA X.

Obedientia & Subjectio Christi.

I.



Mortuo Herode, & aliis, qui Christum cogitarent occidere, monitus ab Angelo Joseph, cumque Puero & Matre ex Ægypto reversus in Judæam, cum cognovisset Archelaum regnare pro patre suo, abiens in Galilæam, Nazarethi confedit; quod prudenter timeret, ne cum regno etiam crudelitatem patris & consilia accepisset Archelaus, five ex ambitione propria, five monitu patris vel adulantium. *IESU subditus Parentibus* Cumque quotannis irent Jerosolymam in templum, juxta DEI præceptum, Anno duodecimo ætatis Jesus profectus cum ipsis, remansit in templo insciis Parentibus, ac tertio die repertus, rediit cum illis. Quid autem egerit usque ad trigessimum annum ætatis, non scribitur, nisi, quod fuerit *subditus illis*. Et hæc subjectio & obedientia Domini est compendium totius vitæ, doctrinæ & operum ejus. Ex hac arbore nati sunt omnes ejus labores: huic Apostolus. Phil. 2. tribuit totam gloriam Domini: *Factus est obediens usque ad mortem: propter quod & Deus exaltavit illum &c.* Hoc significabat & nomen Messia, hoc est missus, ablegatus in terram à Patre. Primum verbum ejus, quod in scripta relatam sit, fuit de obedientia: *Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, quæ Pater vult, oportet me esse?* nec voluit aliud nobis de vita per annos 30. peracta constare, quam quod fuerit subditus illis, quos Pater sibi præfecerat. Cum autem cœpit agere cum hominibus, communis sermo ejus erat, se venisse, ut faceret voluntatem sui Patris: hunc esse cibum suum; doctrinam suam esse Patris, non suam; *Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam?* Et ut ultima responderent mediis ac primis, exspiraturus dixit; *Consummatum est:* *10. 18. v. 11.* *10. 19. v. 30.* *In manus tuas commendo spiritum meum, & cum eo omnia mea,* *Luc. 23. 46.* etiam merita & applicationem eorum tuæ dispositioni relinquo.

II. Quàm gravis fuerit hæc ærumna, in qua Dominus vixit & obiit, explicari non potest. Ideo obedientiam 30. annorum

Lucas uno verbo perstrinxit, reliqui præterierunt omnino, quia capi non potest perfectio trium horum in præcipiendo, parendo. Humilitas ac reverentia Virginis erga Filium ac DEUM suum, parem in cælo non habuit. Mortificatio, quam habuit in imperando, minor non fuit: imperavit tamen ut Mater, quia Deum sciebat hoc velle, & sic præcipiendo Filio paruit Patri. Joseph ut Paterfamilias observabatur ab utroque, & in hac superioritate se intus humiliavit infra omnia. Christus tacens obtemperavit reverenter, & alacriter ambobus, ut præpositis sibi à Patre. Hic fuit triumphus, hic thronus humilitatis & obedientiæ, quo nullus unquam sublimior. In publico dissimulabantur hæc omnia; illi se ut parentes gerebant, hic ut filius morigerus. Privatim servabant accuratè legem divinam, etsi non obligarentur, & juxta conditionem suam mechanicam faciebant opus, quo sustentarentur, Filio collaborante strenuè, & Josephum adjuvante in omnibus, pro ratione ætatis ac virium: quæ omnia, quo sensu tulerint parentes à Filio, quem sciebant esse suum Creatorem, novit solus Deus, cui obsecundabatur ab omnibus tribus. Mirabantur parentes obedientiam Filii, & observabant ejus alacritatem ac demissionem tantæ Majestatis, nihil ex familiaritate remittentes de interna reverentia, sed magna cum veneratione incedebant coram eo, cui ex timore DEI imperitabant. Nonnunquam ex ejus ore divino audiebant secreta cælestis doctrinæ, quam libenter is impertiebat, ut eis obsecundaret in hoc ipso. Cùm cessarent ab opere, magna pars temporis orationi dabatur: ô qualis fuerit ea Oratio in conspectu Filii ac DEI sui! Quid illis in ea donorum tribuerit sua divina Majestas! Nec tamen ideo minus ei debemus, quòd hilariter obedierit, etsi fatigaretur nonnunquam. Amor nostri hanc alacritatem præstabat, ut Deus fabro serviret sine ulla spe mercedis, aut cessaturæ tandem hujus operæ & subjectionis: quia graviora sciebat sibi parata, ut hæc præ illis ei videretur esse recreatio quædam. Neque tamen in hac privata subjectione minor fuit ejus voluntas, fervor, efficacia, & humilitas: esto majora in dies virtutis signa foris monstraret. Illo verò triennio, quo ex voluntate Patris mundo se manifestabat miris operibus ac doctrinis, ita se gessit, ut nullo verbo indicaret

*Triumphus
humilitatis
& obedientiæ.*

dicaret suâ potentiâ ac sapientiâ illa facere, sed Patris sui; ut homines etiam in dignitate positos, doceret meminisse subjectionis, & potentiæ DEI, cui serviunt in suo officio. Denique Judicibus iniquis, Præsidi gentili, Ministris crudelibus eâdem voluntate obediit, veluti pro eo tempore superioribus sibi datis à Patre: ut discamus obedire Superiori qualicumque.

III. Si bene intueamur hoc speculum, videbimus, quem admodum Deus omnium mandatorum suorum observantiam restrinxit ad amorem sui & proximi; probationem amoris constituisse in obedientia. *Si diligitis me, mandata mea servate. Qui servat ea, ille est, qui diligit me. Qui non diligit me, sermones meos non servat.* Nemo igitur cogitet se DEO placere, si non amet; nec amare eum, si non obediat. Idem effectus ac præmium utriusque, idem damnum ex utriusque defectu est, idem utriusque defectus remedium. Amore crescit obedientia, & hæc amor perficitur. Amore sanctificatur anima, unitur DEO, ac percipit influentiam favoris divini: obedientia hæc stabilit & assecurat. Per inobedientiam perditur amor, incurruntur pœnæ temporales & spirituales: per obedientiam reconciliatur amor perditus, & curantur mala commissa: ut aded in obedientia consistat tota sapientia Christiana. Ideo videtur arbor illa in paradiso vocata *arbor scientiæ*, non quòd ex ea comedendo Adam futurus esset sapientior; cum à Deo satis esset instructus scientiâ necessariâ: nam scire peccata, & experimento discere damna peccati, non est scientia, sed cæcitas vel contumacia; & sapientior est, qui sine experientia mali novit bona, quæ Deus docet; in qua scientia sine damno includitur cognitio mali, ut caveatur. Hæc scientia Adamo non dederat, etsi non comederet ex arbore prohibita. Ergo *arbor obedientiæ* vocatur *arbor scientiæ*, quòd obedientia sit clavis, sub qua servabatur scientia, homini tributa à DEO in illo statu felici. Et quia mandatum hoc primum erat ei datum extra legem naturæ, ne comederet ex hac arbore, Deus illi nomen imposuit à scientia, per ejus mandati observationem servanda, forsan daturus id nomen alteri rei, si in altera voluisset exerceri Adæ obedientiam. Quia sublimior sapientia, ac prudentia major in creatura esse non potest,

Probatio
amoris Obe-
dientia
Ioan. 14.

Obedientia
est arbor
scientiæ.

test, quàm ut obediat Creatori: quidquid sine hoc scit, cæcitas, ignorantia, perditio est. Hinc & S. Augustinus dicit, non potuisse meliùs ostendi præstantiam hujus virtutis, quàm per prohibitionem rei de se non malæ: quia bonitas obedientiæ non sita est in impediendo malo, sed in faciendo bono; nec est minùs perfecta in omittendo bono ex mandato, quàm in agendo eodem: non enim aliunde tanti æstimatur, sed tantùm per se ipsam. Ideo verum est, totam sapientiam hominis Christiani in obediendo consistere; quam David petebat: *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Vnam petii à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vite mee*, tanquam servus bonus, qui scit voluntatem Domini sui, & facit.

Psal. 142. 10.
Psal. 26. 4.

Radices In- IV. Inobedientia tres habet venenatas radices, 1. est *Existi-*
obedientia. *matio propria*, quæ est cæcitas animæ, non agnoscentis suam infirmitatem, & propterea agrè ferentis superioritatem in alio, quam sibi putat congruere: hæc præcipitate est Lucifer; contraria humilitate exaltata Virgo in Matrem DEI. Contra illam sancti armârunt se obedientiâ, subjiciendo se aliis quibuslibet, huc dirigentes sua consilia, ut subigerent naturam indomitam alteri, etiam cui non erant subditi. Ad quod obtinendum, agnoscebant se indignos habere locum inter alios Dei servos; quorum proinde quilibet meritò sit eorum superior. Quæ quidem agnitio multis precibus à Deo efflagitanda est. 2. Radix est *Confidentia in proprio judicio*, quam comitatur *Contumacia & arrogantia*: quæ quidem à paucis, nec paucorum annorum labore excinditur, vero lumine difficulter vincente, ac dissipante spissam caliginem. Hinc hæreses, hinc omnis Religionum turbatio. Deo Sancti etiam voto obligârunt se ad obediendum alteri, tametsi non meliori; ut hoc freno tenerent furiam proprii judicii, & hac purgatione quantumvis amara id virus ejicerent. Et hoc donum à Deo impetrandum est: juvabit reprimere libidinem contradicendi, & silentio severo continere propriam rationem, utcunque conetur prorumpere: interiùs autem irasci suæ superbiæ, neque se comparare cum aliis tanquam minùs scientibus; sed cogitare, Deum occultè communicare suam lucem superioribus, neque deesse suo succursu & protectione:
se ipsum

se ipsum verò subjicere potiùs voluntati alienę ex amore DEI, quàm exponi erroris & gravioris mali periculo. 3. Radix est *affectus inordinatus erga rem aliquam*, qui non finit obedire, ne privetur proprio gustu, vel displiceat alteri. Sic Adam est lapsus, qui non ita desipuit, ut vellet esse sicut DEUS; neque contrariam opinionem habuit DEO minanti mortem; sed ne displiceret uxori, & ut satisfaceret appetitui gulę, inobediens fuit. Hęc non rarò est tinea corrodens obedientiam Religiosorum, qui neque affectant Prælaturam, neque volunt omnia regi suo judicio, sed per varios respectus amicorum aut aliorum, comitatos tepore divini servitii, defectu orationis, intentione aliqua mundana &c. sunt immorigeri. Contra quę munierunt eos Fundatores paupertate, castitate, clausura, ne quidquam retinerent affectus terreni. Efficacissimum remedium dedit Christus: *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*; qui in hac vita nullam habui oblectationem aut requiem, nisi in obedientia. Unde mirum non est, omnia obedientię bona tribui: quia sine illa nec in naturali gubernatione mundi, nec in politica belli, reipublicę, navigationis quidquam rectè procedit. Unde David quærens, *in quo corrigis adolescentior viam suam?* respondit, *in custodiendo sermones tuos. Et labor super eloquia tua, quasi, qui invenit spolia multa.* Atque his laudibus bonorum obedientię plenus est Psalm. 118.

V. Sunt autem tria genera obedientium, sive obligatorum ad obediendum. 1. qui simul ex officio imperant aliis: 2. qui nemini præsumunt, neque etiam ulli obediunt, nisi ex generali præcepto DEI. 3. qui speciali obligatione Voti tenentur obedire. Primi sunt in majore periculo, sed habent maximas occasiones merendi. Secundi securè vivunt in sancta libertate. Tertii habent paradisum in terra, modò cum gustu servant promissa. Omnium Cynosura est voluntas & lex DEI. Primi tenentur imitari DEUM, quem repræsentant; magis utendo vi bonitatis ac virtutis, quàm rigoris. Nihil enim in utramque partem est efficacius exemplo superioris. Et ubi rigor totus pendet à justitia sine intentione benefaciendi, subditi magnam causam habent minoris faciendi Superiorem, & minus ei parendi. Igitur externa demonstratione bonitatis debent omnia

Math. 16.
v. 24.

Tria genera
obedientium.

omnia referre ad obedientiam DEI, ejus voluntatis ministri sunt, non proprietarii suæ superioritatis. Nullâ enim re magis errant Superiores, quàm exercendo Imperium tanquam rem suam, non ut obedientiam DEI. Hinc dicitur eis, *Et nunc reges intelligite: Psal. 2. 10* *servite Domino in timore*: in gradu, quo vos posuit, & tunc poteritis in conspectu ejus exultare, si aliis imperetis tanquam ipsius voluntati servientes, non quia ipsis præpositi. *Apprehendite disciplinam: veneramini Filium ejus*, quem constituit regem universonum, in omnibus eum recognoscentes. Caveant sibi à vitio, quo plerique præsidēs obliviscuntur humilitatis, & volunt omnia sua laudari, omnia sibi deferri; quidquid non fit propter ipsos, reputant sibi derogari: unde porro fit, nullum ut consilium admittant, quasi per hoc haberentur minùs prudentes; & erubescunt aliquid facere ex aliorum judicio. Qui si per officium suum aliud non quærerent, quàm voluntatem & obsequium Dei, omne bonum consilium à quocunque datum acciperent, ac desiderarent juvari ab omnibus. Sæculares carent istis periculis, ac tota salus eorum consistit in obedientia mandatorum DEI. Sed jam, pro dolor, eò deventum est, ut legis divinæ nulla apud multos ratio habeatur, & qui per eam regi velit, æstimetur austerus, rigidus, exoticus, quasi in extremis versetur. Dimittamus, inquit, tantisper legem DEI, quia inter nobiles & aulicos, in puncto honoris & sui interesse quisque tenetur sequi stylum mundi, & rationem statûs. Sed hæc ratio statûs, hic stylus mundi, & curiæ est à prudentia carnis, quæ mors est: à sapientia mundi, quæ stultitia est apud DEUM. Caro occidit, mundus illudit, quia omnis ejus discretio videbitur olim esse fumus & ludibrium. Prudentia vera est, vivere ex lege DEI: multò enim melior est obedientia, quàm stultorum victimæ. *Eccles. 1. c. 4.* quia qui Deo obedit in omnibus, se ipsum facit holocaustum gratum in odorem suavitatis.

Obedientia perfecta.

VI. Religiosorum obedientia perfecta non est, nisi ad executionem accedat voluntas & judicium. Cùm enim prælati sint homines, qui ad eam puritatem & simplicitatem obedientiæ veniunt, ut eorum præcepta accipiant tanquam voluntatem DEI, gaudent perpetua pace. Obediens non est, qui procurat ut jubeatur,

tur,

tur, quod ipsi lubitum est: nec qui observat, aut judicat defectus Prælati: nec is, qui obediendo potius alterius voluntati satis face-
 re studet, quàm Dei. Quare consultum est, ne quæras consolationem in amicitia Prælati. Deus enim sæpe vertit hanc spem in contrarium; & magnæ inde perturbationes in communitate nascuntur. Nam errores Superiorum imputantur eorum amicis, à quibus reguntur, vel in quorum gratiam ita res gerunt: omnes alienantur ab illis: & amicitia sæpe exit in inimicitias. Sicut autem hæc falsa obedientia fundatur in amore proprio; ita parit murmuraciones, factiones, partes; quibuscum intrant in domum DEI omnes perturbationes mundanæ. Optimum est subjici indifferenter cuicumque Superiori, qui si mihi non faveat, meritum obedientiæ crescet. Et profectò melius est Monasterium plenum verè obedientibus malo Prælato, quàm sancto Prælato malè obedientibus. Quod etiam Christus *Matth. 23.* docuit, & *1. Petr. 2.* jubemur subditi esse non tantum bonis & modestis, sed etiam dy-
 scolis: quod quidem summi est meriti. Apponam hîc duas regulas. *Quis sit
 quietus in
 Religione.*
 1. quisquis in Religione vult omnia fieri ad suum arbitrium, non est quietus, nec obediens: & omnis inobediens vult præscribere modum & ordinem in omnibus rebus. Unde in Religione nec sanctus Zelus, nec sancta prudentia est, nisi quæ fundatur in perfecta obedientia Regulæ & Prælatorum, quantumvis per se malorum. 2. Qui vult semper esse quietus in Religione, perfectè obediat ex amore divino; qualis etiam si ipse gubernare debeat alios, errare non poterit.

E X E R C I T I U M

Circa Obedientiam Christi.

I.

Divina, æterna & summa Majestas, omnipotens Deus, Dominus & Creator meus! quid est hoc commercii, quod habes cum tua vilissima creatura, ut non feras me habere alia mandata, aliam regulam aut regimen, quàm tuam voluntatem? Quid sum ego, Deus meus, in tui comparatione? & quomodo possum levare oculos ad te, ut præsumam velle scire tua consilia, & voluntatem,
 Q
 ut

*Magnus fa-
 vor est, regi-
 voluntate
 Dei.*

ut regar per illam? Sufficeret mihi, si mandares, ut vivam inter vermes terræ, & à formica discam, quid mihi proffit, & à vermiculo humilitatem, ab asino verberato patientiam, ab onusto & frenato animali obedientiam; ab aliis creaturis, ne audeam levare oculos ad te videndum. Hi forent magistri mihi magis convenientes, & meæ vilitati: quibus, si me conformarem, non facerem parum, & tu fores contentus hoc meo servitio. Quare vis, Domine, ut oculos levem ad hanc Majestatem? Ita lapsus est Adam, & perdidit innocentiam; ita ceciderunt Angeli, quia voluerunt tibi æquari: ita periit & Judas, quòd non esset tua societate contentus. O Deus meus, terra mihi propriè convenit: hæc est mater mea, è luto formaverunt me manus tuæ: ibi est locus meus proprius & habitatio. O Sapientia vera & infinita, qui formasti me ex luto, propter te me fecisti; sumpsisti me de terra, non ut hærerem in ea, sed ut tu viveres in anima mea, quam inclusisti in hac miserabili terra. Ideo vis tu esse Sapientia mea, & Lux mea, vis manifestare mihi bonitatem tuam, ac docere me, quæ sit tua voluntas; ut imitando, quod video in te, non maneam semper in mea terra & luto. Vis habitare in me velut in domo tuâ; & propterea non vis aliquid esse in me, quod tuum non sit, nec placeat tibi. Adoro te, divine Magister, doce me, quod vis me scire; nec permitte, ut aliud sciam. Rege sensus meos, membra mea, vires animæ meæ, affectus ac desideria mea, intellectum meum. Fiat in me, Deus meus, voluntas tua, sicut in cælo sit. Fecisti, Domine, corpus mihi terrenum, animam cælestem, & ordinasti, ut utrumque pariter tibi obediat. Non minùs tibi subiecti sunt Angeli, quàm vermes terræ; nec terrena elementa, quàm corpora cælestia. Sit, ô Domine, idem ordo in me: exultet in te caro mea, & spiritus meus, & omnia subiecta sint tibi, & prostrata ad tuos pedes divinos: & quia exigis à me perfectam obedientiam, ne permittas, ut hæc terra sit contraria illi, quod requiris ab anima.

*Deploratio
nostra in-
obedientia.*

II. Et est ea quidem voluntas tua, Domine, & in hoc ordine perfecto creasti nostram naturam: sed ego, Salvator mi, & unice Sanator plagarum mearum, recitabo & deplorabo infirmitates meas. Vivit in me lex peccati, tuæ voluntati prorsus contra-

ria:

ria : & licet fide credam, quod me doces, sum tamen ita infelix, ut me vincat contradictio hujus corporis. Vocat me mundus, & ipso clamore suo monstrat omnia esse vana, & tamen hunc sequor : Vocat me vanitas & mendacium, & ego huic credo : vocat me caro cum sensualibus appetitibus, & me excæcat. Vocat me mala propensio ad res terrenas, tibi que contrarias, & me trahit post se. Vocas me tu cum pura veritate & doctrina, & ego reformido, fugio te, nec obedio. Vocas me, & licet audiam vocem tuam, non tamen venio : instigas me, nec ego me resolvo : animas me, & ego non audeo : assécuras me, nec ego dimitto timorem : trahis me, & ego recedo : video me cecidisse, nec surgo : video meum periculum, & non relinquo. O tristis mea conditio, ô miseranda miseria! Et à te formido, & à me ipso. Mala consuetudo, & lex tua me gravant; quod tu exigis à me, & quod ego hactenus volui, stimulat me, nec tamen relinquo me ipsum, ne te quæro. O potens pacificator bellorum, libera me ab his angustiis : dirumpe, Domine, istas catenas; & ego consecrabo tibi simul totam meam naturam, ut tibi serviat & obediat. Et quia, Domine, tu das mihi agnoscere meum periculum, etiam illumina me, adjuva me, da mihi vires, ne amittam hoc lumen, & recidam in hunc somnum, ac cæcitatem lethalem, nec obdormiam in vitiis meis, ubi nec auditur, nec videtur, nec gustatur venenum hoc mortis, & separationis à te. O Deus meus, quando sic eram, quàm fui miser! Vivebam non de te, qui es vera vita, nec in tua obedientia, sed in terrenis cupiditatibus, profanis desideriis, appetitibus perversis ac vilibus, & in iis abominationibus, quas misericordia tua videbat ac tolerabat. O Salus mea, ne discedas à me : sanasti me in Baptismo, dedisti mihi legem tuam : aperi ergo Domine, oculos meos, ne aliud videant : eurrant pedes mei ad serviendum tibi : laborent manus meæ, ut tibi satisfaciant : cognoscam veritatem tuam, & amplectatur cor meum, quidquid me doces. quando, Domine, & magister meus! quando, sapientissime Restaurator meorum damnorum, quando perfectissime Corrector meorum errorum, purgabitur memoria mea ab omni distractione? quando trahes me post te in odorem unguentorum tuorum, captum tua pulchritudine, illustratum tuâ

Psal. 61.

doctrinā, astrictum tuæ voluntati? quando componēs pacem inter carnem & spiritum? *Beatus homo, quem tu erudieris, Domine, & de tua lege docueris eum*, quò tibi semper obediat: & tu mitiges ei in diebus malis belli hujus, donec veniat tempus, quo fodiatur huic peccatori, corpori, fovea pro sepulchro. Ah felicitas mea, perfice tandem, ut tollas hæc mala, hos terrenos appetitus à me, ut totus tu regnes in hac anima. Ah Domine, nescio loqui, sed quantus quantus sum, ex intimo corde meo ad tuam Majestatem suspiro; & totum corpus meum terrenum cum omnibus suis vulneribus, & spiritus meus cum omnibus vinculis suis faciunt hoc ipsum: omnia invocant misericordiam tuam. Apprehende, Domine, manum meam, & sana me, ut non vivat in me aliud, quàm obedientia tua sine omni contradictione: quia cupio semper esse tuus; ut, qui jam das mihi hanc voluntatem, des etiam vires.

*Christus
nos docet o-
bedientiã.*

III. Domine mi Jesu Christe, speculum veritatis æternæ, illumina miseram hanc animam, ut videam in te emendationem omnium meorum errorum, & peccatorum miserabilium. Infinitas tibi gratias ago, quòd in te mihi monstraveris, quid debeam sequi, ne excusem ignorantiam. Tu es verus Deus meus, & tua propria est sublimitas ac Majestas: omnia naturaliter tibi subiecta sunt, omnia subjacent pedibus tuis: & hinc ad humiliandam meam superbiam ac duritiem abscondis Majestatem tuam, subdis te creaturis tuis, & obedis operibus manuum tuarum, illorum voluntati te accommodas, quos tu sustentas ac regis. Num Beatissima Virgo, quòd Mater tua sit, fecit, ne sis ejus Creator? quidquid habet illa, non est à manibus tuis? an est in ea quidquam, quod magnitudini tuæ divinæ possit æquari? vel sola ratio Matris abstulit à te supremum dominium, qui es ejus dominus sempiternus? Quomodo ergo cogis eam tibi præcipere, & habere te sub obedientia sua per annos triginta? Aut quam necessitatem habes, ut ab ea regaris, qui es vera Lux & Sapientia, quæ diriguntur, & qui imperant, & qui obediunt. Nam Virgo quidem non ausa fuisset jubere quidquam, nisi tu intus hoc facere eam compulisses. O Speculum summarum virtutum & errorum meorum, versare semper ob oculos animæ meæ, ut in te discam me cognoscere, & horrere, imitari

tari, & sic restaurare meas jacturas. Quare non omnibus obediam? quomodo me non totum subdam tuæ voluntati & arbitrio, cum hoc video? quid mali mihi potest evenire, si amore tui semper jaceam sub pedibus omnium? In humili, in vili te inveniam: ibi assimilabor tibi, qui te tantopere humilias. Si verò me exaltem, te perdo, quia tu odisti superbiam; vel tantum me perdo, quia recedo à te. Frange, Domine, in me superbiam meam, quia nimium præsumo, nimium me æstimo: hinc fido meo judicio, & sequor voluntatem meam, nec subijcio me illi, quod mihi mandas; ideòque semper sum inquietus, & plenus mille erroribus. Fallit me proprium judicium modò cum affectu, modò cum sensu, aliquando cum indignatione & cholera, aliàs cum appetitu vanitatis, jam cum invidia, jam cum interesse, & aliis pravis inclinationibus, quæ oriuntur ex infelici ac terreno meo homine. Cum volo tibi servire in eo, quod intelligo, jam tibi non placeo; quia meo judicio satisfaciens non submitto me alteri: hinc oritur, ut meæ culpæ sint inexcusabiles, cæcitas magis errans, vulnera minus curabilia: quò enim plus mihi fido, eò minus me cognosco, fiòque damnabilior. Tu me vis in pace vivere obediendo; & ego me converto retrorsum ad bellum, agendo pro meo arbitrio. Tu vis me protegere, si me submittam; ego me ictibus inimicorum obijcio per inobedientiam. Tu, cum sino me regi ab aliis, recipis curam rerum mearum; ego non obediendo malo reddi obnoxius reddendæ rationi, & contendere tecum in judicio, DEUS meus. At si intrem tecum in judicium, quid me fiet homuncione paupere, terreno, referto malis & peccatis, & qui non possum fallere purissimos oculos tuos, sicut fallo me ipsum? Convertete me, Domine, & humilia in me hanc superbiam, priusquam veniat dies rationis reddendæ. Tu, qui nôsti, quantum damni faciat homo, suo arbitrio vivendo, noluisti filios Adæ fidere suo judicio; & omnes, qui se subijciunt, illuminas, adjuvas; quia superbis resistis, & assistis humilibus. Cum tui amore me submitto, scio me tibi placere: cum studio te imitandi non sequor meum judicium, sed aliorum, etiam minus intelligentium & sapientium, scio, quòd me non sinas errare. Cum autem pudet me subijci alteri, & meum judicium præfero,

*Proprium
judicium
fallax.*

*DEVS ha-
bet curam
obedientiu.*

quis, o humilis & obediens Jesu, dicet mihi, quod satisfecerim tibi? Quando aestimo meum iudicium, scandalizo, neque curo, & sperno proximum, & mihi applaudo; arrogo mihi discretionem, nec me cognosco; videor mihi securus, nec video meos errores; maneo solus absque te, & tuo lumine, & omnia tuta existimo. O Deus ac Dominus meus, qui dignaris esse meus Salvator & Salus; tu scis, quod peiores radices ad me perdendum, sint praesumptio, existimatio & voluntas propria, & vides, quam venenata sint haec semina omnis mali mei. Doce me, Domine, invocare te semper cum vivo desiderio meae salutis; quia tu es remedium horum malorum, ac sola potenti manu tua curari possunt haec plagae, ne permittas eas inveterascere, ac proferpere.

*Christus o-
bediit et-
iam carni-
ficibus-*

IV. Doce me, divine Magister, perfectionem hujus divinae virtutis tibi tam propriae, quam assumpsisti in sociam, & qua sine omni contradictione obedivisti humillime non Matri tantum & Josepho, sed etiam iniquis iudicibus, carnificibus & crucifixoribus, qui te injuste damnarunt, verberarunt & affixerunt. Cum peterent manus ad ligandum, porrigebas; cum vestem juberent induere, exuere, faciebas; sedere ad illudendum tibi, sedebas; cum fel & acetum praerberent, gustabas; cum extendi in Cruce, parebas. Omnia faciebas ad voluntatem eorum, quasi Pater aeternus loqueretur per ora eorum. Laudent te, Domine caeli & terrae, virtutes tuae: laudent te Angeli & Sancti, & omnes vires meae se tuae laudi impendant. Quare, o Deus meus, non ardent interiora mea tuo amore, ex tam claro lumine purissimae veritatis, quod mihi das? Tu horres peccatorem ut malum, vis, ut ei obediam: damnas malitiam, & vis, ut ei me subdam: Non intelligitur, Domine, quid petas a me, si in superiore quocumque bono vel malo, non recognoscam te solum, nec aliam voluntatem quam tuam. O Deus meus, quam non possum expedire me ab hac servitute! quam diligo servitutem caecae meae ac deceptae voluntatis! Si mihi mandes aspera, dura, molesta, lethifera, cum tu sis, qui madas, quid mali mihi potest accidere? Puto, si te viderent oculi mei, ac scire te esse, qui mandas, me omnia facturum magna cum diligentia: fiergo, Gubernator mi amantissime, ac fidelissime, tu ordinas omnia in caelo & in terra, quid refert, per quem aperiatur mihi
tuam

tuum voluntatem, per Angelum, an per dæmonium, per hominem bonum, an per malum? Ah mi Domine, tu vides, quàm fiam inquietus, cum facio discrimen inter homines, qui mihi imperant. Da mihi, ut recognoscam te solum Rectorem ac Dominum; committam me manibus ac providentiæ tuæ: nam si me subjiceres hostibus meis, tu moveres cor & os eorum ad id, quod mihi magis conduceret. Si dares mihi Prælatum improbum, & mihi infensum, omnem ejus malitiã converteres in meum bonum, & ubi ipse dæmonium suã malitiã, ego lucrum facerem obedientiã. En, Domine animæ meæ, ad tuos me pedes abjicio: rege me per quæcunque media volueris, subjice me cuicumque tibi gratius erit: quia tu in omnibus, & per omnia es meus Superior, tu suavis meus Governator, tu sapientissimus Magister. Tu novisti & amas me, & hoc duplici respectu me regis. Imperet mihi quævis creatura, agnoscam me indignum, cui per eam aliquid mandes, quantumvis vilem; neque ullam esse tam malam, cui non justissimè possim subjici. Sed fac, Domine, ut in omnibus tibi soli obediam, nec aliam voluntatem agnoscam, quàm tuam. Tu enim Pater misericordiarum, omnia vides & ordinas.

V. O Deus amoris, fidelissime amice animæ meæ, audi me Domine, in hac hora, & admite supplicationem, quam offero. Id, quod super omnia exigis à me, est, ut tibi obediam: Primum, quod imperas, est, ut amem te, Deus animæ meæ, & vera vita mea. Cesset igitur tandem ista divisio, & repugnantia obediendi. Accepta, Domine, quod in hac hora volo tibi offerre, ac perfice gratiã tuã professionem, quam miserabile hoc cor meum nunc facit. Ego miserandus peccator, propter amorem, quo te mihi totum dedisti, generalem professionem facio, & reddo perpetuam obedientiam huic tuo amoris. Accipe, spes mea, & omne bonum meum, has manus & hos pedes, hanc linguam, hos oculos, & omnes sensus meos, & totum corpus meum, voluntatem meam, memoriam, & intellectum meum, desideria, suspiria, & intentiones animæ meæ. Accipe Domine, omnes horas & momenta vitæ meæ, cum omnibus accidentibus; totum hominem interiorem & exteriorem. Tu qui dixisti, quod sine te nihil possimus facere, & tecum manere non possimus, nisi per unionem amoris; sit hic amor tuus Superior, ac Prælatus

*Obediens
non facit
discrimen
inter eos,
qui imperant.*

*Primum,
quod Deus
bet, est
Amor.*

Prælatu hujus creaturæ tuæ: ille moveat sensus, ille potentias, & opera mea: ille sit auctor laborum & quietis meæ: ille me doceat ire & manere, ubi, & quocunque tibi sciet placere. Ardeat in corde meo, regnet in me: affligat, humiliet, eleuet me: consumat in me omnes imperfectiones: constringat interiora mea, extendat angustias meas, eleuet spiritum depressum, & impleat totam capacitatem meam. O divine amor, totum me posside, & abjice me quocunque vis, merge me in mari quarumlibet ærumnarum, continue me tormentis continuis: quia tecum & in te non possum perire. Audi me, amor divine, & quia magis hoc ipse cupis, quam ego possim desiderare, ita me transforma in te, ut non me agnoscam, nec reperiam amplius, nisi in te.

O Mater DEI purissima, obedientissima Domina, & Imperatrix humillima tui Unigeniti Filii ac DEI, compatere lapsibus inobedientia & superbia meæ. Obtine mihi ab ipso, ut semper faciam ejus ac tuam voluntatem, & ei totus subjiciar.

O Curia cælestis, qui regnatis in perfectissima obedientia, solvite vincula animæ meæ in libertatem, in qua degitis; & impetrate mihi remedium, ut exiens à me ipso maneam semper subiectus voluntati ejus Domini, quem vos videtis & adoratis in sæcula. Amen.

ÆRUMNA XI.

Paupertas.

I.

IESVS
omnia
prius exer-
cuit, quæ
postea do-
cuit.



Auctoritas
comparan-
da bonis
exemplis.

Via S. Lucas scribit cœpisse **JESUM** facere & docere, non temere cogitamus, quamcunque perfectionem ultimo triennio docuit, prius exercuisse copiosissime triginta prioribus annis, ad exemplum eorum, qui alios docent. Nam verba sine operibus citò evanescent in animis auditorum, sed in memoria DEI manent ad condemnationem docentium: juncta verò bonis operibus, pondus apud homines habent, & meritum apud Deum ac gloriam. Ideo Dominus, licet per se dignus esset omni fide, nihilominus totis 30. annis exercere voluit, quæ tribus erat docturus. Ex quo etiam id intelligas, quam parùm æstimationis mereantur, qui auctoritatem non quærunt exemplis